De numerorum usu Euripideo capita selecta.

Cum saeculi sit omnes res numeris persequi atque vitae quaslibet condiciones rationesque accuratissime subtilissimeque ad calculos vocare, qua in re vereor ne iam ad nimium pervenerimus modumque excesserimus, antiquissimis temporibus numerorum quaedam incuria atque indiligentia haud raro nobis occurrit. Ne scriptores quidem rerum graecarum et romanarum ea qua par est subtilitate numeris uti solent, quippe quos saepenumero aut plane omittant eis locis, ubi erant afferendi, aut minus accuratos afferant. Quem scriptorum usum a viris doctis multis notatum si non mireris, at certe doleas. Ad poetas vero quod attinet res tota alia est: quod apud historicos incuriae atque neglegentiae tribuendum est, id poetae consilio iudicioque faciunt. Nam numeris res accurate comprehendere profecto habet nescio quid ieiuni, languidi, molesti, putidi, quapropter ad prosam magis orationem pertinet, a poetico dicendi genere admodum alienum est. Ut autem omnino frequentatio numerorum a spiritu poetico quodammodo abhorret, ita fugit hanc et reformidat vitae cotidianae supellectilem sublimitas illa et granditas sermonis tragici. [1]) Quod cum bene sentirent tragici graeci, etsi numeris plane abstinere eis non licebat, tamen ubicumque poterant, numerorum illam ieiunitatem molestiamque mitigare vel evitare studebant. Quomodo vero hoc assecuti sint, hoc libello exemplis ex Euripidis tragoediis desumptis exponere conabor, quippe cuius poetae maior adhuc exstet numerus tragoediarum, quo fit ut totus loquendi usus accuratius perspici possit. Nec tamen non ubicumque ad rem illustrandam aptum visum erit, exempla similia partim e ceteris tragicis, partim ex aliis quibusdam Graecorum et Romanorum poetis petita comparabo. Quaestione hoc modo instituta mihi videor sperare posse viros doctos nonnihil fructus ex observationibus et excerptis meis percepturos esse, praesertim cum adhuc careamus lexico Euripideo, ex quo facili negotio intellegi possit, quantum poeta, licet multa in tragoediam assumpserit *ἐκ τῆς εἰωθυίας διαλέκτου*, recedat ab usu cotidiano. —

[1]) In carmine epico contra, cum eius dictio sermonis cotidiani similior sit, etiam numeri satis multi admitti solent. Testis est Homerus; cfr. *D. Sanders, Die Zahlen in der Odyssee, Gegenwart vol. XXVI Berlin 1884 p. 45 sq.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf